

pus vegetabile, prout constat ex anima & corpore organico. Atque ita licet una sit anima vegetativa & una tantum ipsius causalitas, duplē tamen sortitur respectum & duplex obit munus modo jam dicto & declarato.

§ 12. Hic monendum, quod haec anima sine reliquis animabus vegetanti nempe & rationali in viventibus esse possit, sed haec absque hac esse non possunt; Nam ea est quasi $\beta\alpha\sigma\tau\varsigma$ seu fundamentum ceteris animabus substratum. Hinc fit, ut haec intereunte reliquæ permanere non amplius possint, sed discedere necesse habeant, sicut infra pluribus docetur. Habet haec animæ species tres primarias facultates, nempe facultatem $\vartheta\epsilon\tau\omega\lambda\kappa\eta\pi$ per quam corpus vivum nutritur. 2. $\alpha\nu\zeta\eta\lambda\kappa\eta\pi$ augmentativam per quam corpus vivum crescit & augetur. & 3. $\gamma\mu\eta\lambda\kappa\eta\pi$ generativam, per quam corpus vivum generat sibi simile; Quarum duæ priores ad conservationem individui, posterior verò ad conservationem speciei spectat. De hisce singillatim agere ob prolixitatem evitandam jam non possumus.

§ 13. Sicut autem anima vegetans omnibus viventibus communis est, ita omnibus animalibus inest anima sentiens eaque tam brutis, quam hominibus competit, & τῷ αὐτῷ νεῳ τὸ ζῶον πέπος τὸ μὴ ζῶον διορίζομεν. i. e. per sentire animal à non animali discernimus, ut ait Aristoteles de Invent. & Senect. c. 1. Quapropter cum de anima in genere & de anima vegetante in specie actum fuerit, jam ad sentientem nobis accedendum est, quam itidem breviter delineabimus. Vulgo verò dicitur actus primus corporis organici animalis, cum ipso corpus animatum sensitivum constituens. Quæ verba intellectu facilita prolixiori non indigent explicatione. Adscribuntur huic animæ communiter tres præcipuae facultates, quarum prima dicitur cognoscitiva seu sentiens, quæ mediante certō corporis instrumento objecta sensibilia ad se delata percipit, dijudicat, & tandem ad certum finem dirigit. Altera est facultas appetitiva, quæ est vis animæ sentientis, qua inclinatur animal & impellitur ad prosequendum

B 2

aut